



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvat̃is, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

162. Fer. 2. Quomodo orandus Deus, ut nos illuminet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Fer. 2. Domin. infr. Oct. Ascens. 283

nisi propter Deum velim, semper magis inclinatus ad mihi displicentia, quam grata. Juxta septem has renuntiationes formabo septem petitiones ad Principatus, ut si *Medicina est cœleste ac venerabile Sacramentum*, juxta D. Cyrillum, mihi impetrent ex hujus medicinæ sumptione emundationem ex toto; dicamque Pater noster.

MEDITATIO CLXII.

Feria 2. Domin. infra Oct. Ascens.

Quomodo orandus DEVS, ut nos illuminet.

Collocabo me inter Potestates bene utentes potestate in coërcendis spiritibus malignis, ad Ephes. 2. Peram illuminari in servitio DEI.

Cons. 1. Necessariam esse Fidem: quia ab incredulis diabolus timetur ut leo, à fortibus in Fide ut vermis contemnitur, ait S. Isidorus l. 3. de sum. bono c. 5. 2. Necessaria est Spes: Cor sit in cœlo, ne putrescat in terra, inquit August. in Ps. 32. 3. Necessaria est Charitas: Ibi spera, ibi ama, inde pete virtutem, ibi expecta mercedem. inquit August. serm. 8. de Verb. D. 4. Necessaria est Temperantia. 5. Justitia. 6. Prudentia. 7. Fortitudo. Ordinabo septem petitiones ad has septem virtutes.

Con

*Conf. 1. Necessarium esse zelum honoris DEI, cui plus debeo, quàm mihi: quia Deus est majus bonum, quàm ego: ideo ait Chry-
sost. hom. 20. in Matth. Nihil omnino prius quàm pro ipsius gloria supplicare debemus, & huc servit prima petitio. 2. Debemus curare salutem propriam secundùm bonum nostrum. Regnum Dei, non naturæ, quod jam est, nec gratiæ, quod etiam habemus, sed gloriæ, quod petimus. D. Hieron. hic ait: Grandis audacia, & pura conscientia postulare regnum Dei, & iudicium non timere. 3. Quia ad obtinendum finem opus est medijs debitis, eaque sita sint in voluntate Dei, petimus à voluntate nostra averti, &c. 4. Quia media ad finem beatum; alia sunt spiritalia, ut verbum Dei auditum, lectum, oratio, inspirationes divinæ: alia corporalia, ideo petimus: Panem, &c. 5. Quia nihil inquinatum cœlos subit, petimus dimitti nobis debita culpæ propter injuriam in Deum, & poenæ ob legem violatam, ideo prius dimittimus debitoribus: quia repugnat remitti peccatum, & manere in peccato. 6. Quia tentationes periculosæ, victoria incerta, petimus ut vel repugnet lapsus, vel tentatio. 7. Quia nullum non malum est, cui non sumus expositi, petimus ab omni malo liberari.*

Conf. 3.

Feria 3. Dom. infr. Oct. Ascens. 285

Conf. 3. Vt in virtutibus exerceamur necessarium esse Timorem Domini. 2. Pietatem. 3. Scientiam. 4. Fortitudinem. 5. Consilium. 6. Intellectum. 7. Sapientiam, quæ dona per septem petitiones orabo.

MEDITATIO CLXIII.

Feria 3. Dom. infra Octav. Ascens.

Quomodo orandus DEVS, ut nos magis illuminet.

Collocabo me inter Virtutes Fortitudine insignes, exequentes miracula, intenti ad Deum Fortitudinis auctorem, ad Ephes. 1. Petam, quomodo orandum, ut magis illuminer.

Conf. 1. Intelligere me debere tentationem perplexam, quæ sub uno eodemque tempore, multis, varijs, & penè contrarijs vitijs impugnat, ut miser animus undique bellis cinctus, cum uni resistere nititur, in aliud, quod non timebat, luctuosâ collisione labatur; hanc, qui consolatur humiles, ut tollat Deus, humiliter invocandus.

2. Intelligenda est tentatio importuna, quam à memoriæ nostræ oculis amovere vix possumus, & semel amota iterum redit, & penè omni horâ inquietare non desinit. De hac musca manu discretionis sacrificio actionum nostrarum amovenda utimur petitione.

3. in-